

Franckesche Stiftungen zu Halle

Lebenslauf von Abraham Kall.

Kall, Abraham

o.O., 27.05.1702

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:gbv:ha33-1-175301](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:ha33-1-175301)

Curriculum vitae et studiorum

ABRAHAM KALLE.

Anno 1702. d. 27 Maji

Quum Superioribus, quorum voluntati refragari nec decet nec licet, placuerit, ut singula Collegii Orientalis et Theologici membra vitae ante actae cursum paucis exponant; persequar brevissimis, qua par est observantia, quantum quidem memoria de transacta vita suggerit ratione. Natus sum ego Abraham Kalle Flensburgi, urbis Cimbrorum non incelebris, patre Jacobo, ciue et mercatore inter Flensburgeros honestae famae, matre vero Anna, die vnderigesimo Nouembris anni reparatorum per Christum salutis post millesimum sexcentesimo septuagesimo septimi. Tum vero me haud ita multo post Ecclesiae Christianae per sacram baptismatis perfusionem Dedicatum nihil neque prius neque antiquius habuerunt parentes, quam ut diuina benignitate ita educarent, ut mens mea, vera sinceramque in Deum pietate, quae primae ipsis curae fuit, imbuta honestis artibus ita tingeretur, ut ex me etiam utilitatis quidquam et emolumentum in ecclesiam remque publicam Christianam aliquando redundaret. Hinc factum est, ut me mature admodum in scholis ciuitatis patriae publicis institui, omnibusque scientiis, quae pertinent ad animos puerorum formandos ornandosque, instrui curarent. Iactis, quae sufficere visa sunt, fundamentis in legendo, scribendo atque arithmeticae exercitio, cum me non abhorrere sentirent parentes a liberalium artium cultura, diuino nutu auspiciisque, anno aetatis duodecimo circumacto, traditus ab ipsis sum cura viri haud ita pridem beate defuncti, Eberhardi Vetti, scholae patriae Rectoris per multos annos fidelissimi. Hic, quo erat in pueros fidei ipsius commissos amore, omni cura in egi, ut me, cum aliis institutione ipsius fruentibus, in studiis, quae humaniora salutantur, erueret. Quod cum per septem ferme annos summa fide industriaque fecisset, atque animum nostrum praeceptis formasset saluberrimis, dignus ab ipso pariter ac aliis propinqua mecum cognatione coniunctis sum iudicatus, qui vicinam Holsatorum Academiam, quae Kilonii est, salutarem.

Concepi itaq. Kilonium, ubi per biennium Praeceptoribus vsus viris clarissimis, in Theologia frequentavi Franckii Scholas et Epitii; in Philosophia vero instrumentali et morali Paschium, in Philologia S. Muhlum, atq. in literatura humaniori Majum Docentes audiui. Domum reuocatus ex Academia Kiloniensi vix duos menses cum parentibus transegeram, cum ad priuatam liberorum suorum institutionem me vocaret I. G. Knüttellius, verbi diuini in Holsatia minister. Cum vero non ignorarem, immaturas admodum esse Musas meas, neq. tales, ut ex his fructus expectari possent, ex Germanorum Academicis vnā petere in animum induxi. Elegi igitur, utroq. parente non inuito, Regiam hanc Fridericianam, usq. deq. habitis conuitiis, quibus passim illa, et vel maxime in patria mea, proficinditur, spectisq. multorum, qui a proposito abstergere me conabantur, rationibus. Duobus ergo abhinc annis, vale parentibus dilectissimis dicto, post octidui iter Halam veni per Dei gratiam salus et incolumis. Lucia vero mirabili flagrabam cupiditate linguas orientis accurate addiscere, indignum ratus sum, si occasione, hic sese mihi praebenti, deessem. Inde cum Commilitonum nomullis Duce Dn. Professore Michaelis, Factore ac Praeceptore meo summo honoris et amoris culta per otatem prosequendo, cursum Philologiae S. et orientalis sum ingressus, in quo per annum et dimidium continuato et hodie demum diuina benignitate absoluto linguas percurramus Hebraicam, Chaldaicam, Syriacam, Arabicam, Aethiopicam, Samaritanam et Rabbinicam. Egregie vero etiam, ad Arabicam quod attinet, suppetias nobis tulit Damascenus doctissimus, ante annum ferme totum non sine singulari providentia diuina ad nos delatus, qui capita Corani omnia exponendo nobis praenit, idq. singulis diebus per duas horas. Neq. tamen, quoad hic vixi, disciplinas Philosophicas neglexi; Clarissimus enim Buddeus noster Philosophiam instrumentalem, succinctam puta introductionem in Historiam Philosophicam, Logicam, artem interpretandi et didacticam, Physicam quoq. atq. Ethicam, Ius item Naturae insigni cum fructu me docuit. Celeberrimi etiam Cellarii Scholas, quantum per linguarum studia licuit, non sine iucunditate frequentavi, inq. epistolis

et orationibus conscribendis non raro ab ipso sum exercitatus. Quum ita sint, vix mihi, tot tantisque jam laboribus districto, licuit, neque consultum visum fuit, summe venerandos Theologos nostros ex cathedra Academica docentes audire, nisi primo, quo Halam veni, semestri astius, ubi lectionibus admodum reuerendi Franckii nostri in Manuductionem ad lectionem Scripturae S. habitis interfui. Dixi de laboribus diuino auxilio sum peratis; restat, ut, quae nunc sit rerum mearum ratio, quoque conditio studiorum, in quibus jam versor, quae potest fieri breuitate enarrem. Postquam in Societatem Orientalem et Theologicam benignissime sum adscitus, ex sententia summe venerandi ordinis Theologici praelectiones Theticas maxime reuerendi In. D. Breithaupti, et Exegeticas admodum venerabilis In. Franckii frequenter. Ipse vero commilitonibus nonnullis, quod felix faustumque esse jubeat Deus! litteraturae Hebraicae praecpta trado, quibus finitis ad ipsam Scripturae S. V. T. Originalis lectionem adgrediar. Ceterum de lectionibus, quae cum ceteris collegii nostri sociis mihi sunt communes, nihil attinet hic plura dicere, quum ex singulari Descriptione, quae accuratam complectitur Societatis nostrae rationem, satis illa constare possint. Tibi vero, clementissime Deus, toto pectore gratias ago, qui ad hoc usque tempus me tot tantisque et corporis et animae beneficiis cumulasti, tam paterne conseruasti, aluisti, protexisti. Tua benignitati tuaque meae curae in posterum trado. Tibi omnes commendo labores omniaque studia mea. Dirige, benignissime Pater, cunctas mentis cogitationes, cunctas, quas suscipio, actiones! Fac, ut in vera erga Te pietate ac sincero tui timore peragantur ad salutem tuam meam tum ecclesiae tuae promouendam et gloriam nominis tui sanctissimi amplificandam!